Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 177
Quelle:
Copyright:

CXVI.

U. 24 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. f. per duas columnas bene descriptus, et rubricis enotatus in Theca anteriore legit: *Egregius vir sacre theologie ac arcium liberalium doctor olim famosissimus atque ecclesie sancti stephani wien. canonicus predignus magister thomas* (Wölfel) *de wldersdarff in preclaris suis diebus mortem obijt. et collegio ducali wienne hunc librum testatus est. cuius anima deo feliciter uiuat. Anno 1478.* Rectoratu Academico Vir hic functus est annis 1442. 57. et 63. Est porro Codex hic *Pars* I. vasti Operis *Postillarum* in universa Biblia *Nicolai de Lira* O. M. *Normanni*, Scriptoris Sec. XIV. editarum non semel sub ipsa artis impressoriae initia cum seorsim, tum in Bibliis glossatis; continet vero *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices* et *Ruth*. Initium est: *Hec omnia liber vite. Ecc. 24. secundum quod dicit Beatus Gregorius* &c. Nec est, quod addam, nisi, quod ad *Geneseos* calcem Opus istud a Librario *Lectura* adpelletur.

CXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas crassius exaratus et rubricis distinctus complectitur *Nicolai de Lira* O. M. *Postillas in Pentateuchum* cum duplici Prologo: *Per* (Haec) *omnia liber vite* &c. et: *Vidi in dextra sedentis* &c. *Deuteronomii* Expositio a verbis in C. XX. *et animare populum bonis excitationibus ad secure* — — intercidit. Librarium siticulosum fuisse oportet; *Exodo* enim et *Levitico* hoc votum subdidit: U. 27

Vinum scriptori tribuatur de meliori.
Explicit hoc totum Magister da mihi potum.

Thecae anticae intus adscriptum: *Hunc librum Magister lampertus de gelria et petrus de Pulka theologie professores, ac Magistri Johannes de tamms Jacobus werbardi Theodoricus de hammlburkch Nycolaus de Götesprün Henricus de hasellach Johannes de Gmunden Johannes Röchl et Petrus de Pirichenwart pro tunc collegiati collegij ducalis emerunt et pro libraria eiusdem collegij sponte donauerunt tali condicione.* Reliqua importune erasa. Ex his *Lampertus Gelder* obiit 1419. *Petrus de Pulka* alio nomine *Zach*, *Theod. de Hammelburg Rudolphi*, *Nic. de Gottesbrun Pockinger* fuit. Gesta ab iis munia habes in *Locheri Speculo Acad. Vien.* qui *Johannem de Tamms* pluries et fortasse rectius *de Tannis* compellat.

CXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 187. f. per duas columnas currente calamo scriptus, rubricis R. 23

 enota-